FLORA.

№ 22.

Regensburg. Ausgegeben den 22. Juli. **1862.**

Inhalt. W. Nylander: De novissimo opere Friesiano. — Montrousier: Die Flora der Insel Art bei Neu-Kaledonien. — Verzeichniss der i. J. 1862 für die Sammlungen der kgl. bot. Gesellschaft eingegangenen Beiträge.

W. Nylander: De novissimo opere Friesiano.

Novum jactantiae Friesianae apparuit specimen libello lingua suecana conscripto, Genmäle (Upsala, 1862), ubi injurias vel insinuationes contra me quinquaginta paginis amplissime exponit [1]). Sicut omnibus bone cognitum est, qui criticas meas animadversiones legerunt, numquam nisi res scientiae apud Fries vel apud alios auctores respexi, ubi errores indicare utile putavi, et hoc semper solum feci argumentis innixus honestis et certis. Quam aliter Fries! Atque an nunc vellet „Acheronta movere"? Occurrunt enim iterum in novo libello suethice scripto plurima, quae sane stigmate novo opus habent. Anne ex. gr. audaciam majorem videre licet quam affirmationem Friesianam (p. 9): quodcunque scriptum lichenologicum ultimorum annorum acerrima judicia de me continere. Si ab uno alterove scriptore Massalongiano ira vel injuriis [2]) recepta fuerunt animadversiones meae; anne omnis litteratura lichenologica hodierna scriptis eorum exprimitur, vel anne quidem in ipsa schola Massalongiana apud

[1]) Suethice scripsit Fries, et tamen in Suecia modo perpauci res lichenologicas speciales aliquantulum intelligere valent. Testes haud fugio intelligentes, quare praestare habeo latine scribere.

[2]) Fries avidissime citat ex. gr. Koerberianum „finnische Grobheit und Unverschämtheit" (Parerg p. 142), quod ullis commentariis non eget et quod splendide argumentorum non inveniendorum loco adhibetur.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0373-7

auctores maxime notabiles (ut Arnold et Anzi) verbulum sensus insinuationis Friesianae invenitur? In Gallia dicit Fries (p. 16), duos solum lichenologos insigniores sibi cognitos adesse scilicet Montagne et Fée, atque mox addit, eos quidem non numerari posse inter admiratores Nylandri; ad quod animadvertere liceat, eos botanicos certissime adhuc minus admiratores esse scholae Massalongianae, immo mea dicuntur opera Friesianis longe praeferre. An porro, secundum Fries, nullius sint momenti auctores lichenologici ut Tulasne et Bornet? Anne judicium eorum in rebus cryptogamicis vel speciatim, si placet, lichenologicis hodiernis ponderis esse possit gravioris quam auctorum quatuor, quos tamquam mihi contrarios glorians citat Fries, scilicet 1) Massalongo, 2) von Krempelhuber, 3) Körber et 4) Bayrhoffer. Numne reipsa adhuc in Gallia alii desunt botanici studiis microscopicis cryptogamicis eminentes (ex. gr. Thuret, de Brébisson, Desmazières, Léveillé, Pelvet), qui bene intelligant, quid in studiorum nisu diverso probandum aut rejiciendum sit. Atque numne terrae aliae botanicis carent, quorum judicium similiter eo respectu plene habeatur legitimum? Anne tales aestimentur ex. gr. Tuckerman, Coemans, Duby, J. D. Hooker, Lindsay? Non vult Fries. De plurimis clamitavit auctoribus me damnantibus; at quum poscitur eos afferre, modo tres affert vel quidem quatuor, si adnumeratur auctor libelli famosi Einiges über die Lichenen und deren Befruchtung (Bern, 1851), D. Bayrhoffer [1]). Numerus ille 4 non est magnus; sed ex sententia Friesiana, facultate me judicandi sine dubio superiores sint auctores citati omnibus ceteris lichenologis, neque fiduciam habendam nisi Massalongianis admittere videtur adversarius Upsaliensis. Magnifice statuit Fries (p. 16), me ob bonas quasdam observationes et theorias (addit vero celeriter, immixtis pejoribus et erroneis) — locum quendam haud pondere carentem („ej ovigtig plats") occupare inter lichenologos hodiernos [2]); me porro dictatoris in scientia potestatem

[1]) Citat Fries Bayrh. Entw. der Clad. p. 23, ubi auctor dicit, me Lichenes non satis examinavisse („nicht hinlänglich untersucht hat"), quod certe haud negandum, nam vix unquam nimis eos examinare valemus. — Observetur, D. Bayrhoffer dedisse quoque additamentum ad suum famosum Einiges über Lichenen und deren Befruchtung in Flora 1851, p. 173 sqq., ibi sagacitatis suae microscopicae novas explicationes afferens. Disquisitiones eas classicas esse vix neget Fries locumque Domino Bayrhoffer inter lichenologos hodiernos prope seipsum occupandi omne jus tribuentes.

[2]) Absque dubio Fries locum mihi tribuendum censet longe infra laudatis-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0374-3

arrogare contendit, et hocce dicit judicia plurima infesta objurgationesque acerrimas excitavisse, quibus obrutus fuerim. Miror sane, quomodo dictatorium illum nisum ostenderim? Quid arbitrarium inest ullibi in scriptis meis, vel quid aliis absolute injungere voluerim? Quomodo potuerim? Insanirem quidem, si tali nisui deditus esse possem [1]). Sed „qualiacunque mihi imputare veniam sibi dedit Magister Upsaliensis superbam, at sane miserandam", id jam antea monui in hac ephemeride. Si saepe reprehendi vel aberrationes vel inexperientiam vel injurias scriptorum, hoc mihi vitio dictatorio vertere minime decuit Friesio, cui correctiones meae tam saepe utiles fuerunt.

Quod adtinet ad inventum meum, thecas apice apud Sphaeriam pedunculatam et Desmazierii perforatas esse et ibi obturaculum offerre jodo coerulee insigniter tinctum, affirmare (p. 24) audet Fries: idem a H. v. Mohl ante observatum fuisse apud alium fungum. Nihil esse potest falsius. Quod vidit cel. H. v. Mohl apud Septoriam Ulmi, nihil sistit ullo modo comparandum, et hic fungillus quidem thecis caret! At quid veritatem curat „ars critica" Friesiana. De invento meo, de quo agitur, cf. Tul. Sel. Fungor. carpol. 1, p. 84; evidenter id non respicit modo colorationem jodo affectum, sed momentum peculiare fabricae thecarum.

De refutationibus jactanter (p. 25) loquitur suis opinionum Nylandri. Quid autem revera refutavit aegre inveniendum sit. In toto libello Gen. Heterol. valde videtur macrum (verbis inanibus maxime constans) quod auctori est proprium, et fere nonnisi nominibus genericis quibusdam reducitur [2]). Disseruit in introductione ejus libelli de rebus plurimis, sed quid novi et

---

simos Massalongo, Körber, v. Krempelhuber, Bayrhoffer et seipsum, judices summos lichenologiae hodiernae, sicut elucet e libello Friesiano.

[1]) In Flora 1859, p. 216, memoravi, Fries (patrem) in Bot. Notiser 1857, p. 197, suethice scripsisse commentarium, ubi inter alias res haud parum singulares legitur, statui Botanices hodierno, ut vult, depravato, nullam esse salutem nisi in instituenda inter Botanicos aristocratia nobili, cujus duce solum (verisimiliter) rebus scientiae occupari fas esset. Nihil equidem ita ingeniose dictatorium proponere unquam potuissem.

[2]) Nec magni vulgo (extra ipsam scholam Massalongianam) momenti habentur genera sensu Massalongo-Koerberiano facillimo negotio confecta et divulsa. In solo genere Thelotremate (sensu Achariano et meo), 50 species afferente, gloria facili saltem 20 genera indolis sporologicae instituenda essent. Emolumentum autem scientiae nominibus ita additis aegre demonstrari possit.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0375-9

utilis, quid inventum proprium [1]) afferat vix perspicere licet. Genera in lichenologia, tamquam ubique in Historia naturali inaequaliter esse composita, cuique constat. De harmonia et consequentia hoc respectu verba facilia facit Fries; at numne ex. gr. , accepto sic dicto genere „Xanthoria", jungere in unum genus etiam necesse erat „Physcias" et „Rinodinas", omnino analogas et vix nisi colore sporarum differentes. De magno numero generum porro in systemate meo recepto clamitat Fries et assimulat comparationem cum numero generum Massalongianorum; hocce artem perfidiosam sistit, nam genera mea totius sunt telluris et nova fere omnia exotica sunt; addere vix opus habeam, lichenes exoticos in schola Massalongiana plerumque non respici aut omnino ignotos esse. Nullo itaque respectu comparari posse illos numeros, haud nescit Fries.

Quid absurdius quam Friesianum „videtur systema Nylanderianum sibi deposcere, ut solum verum censeatur" (Gen. Heterol. p. 41)? Ut contenderim, id „metam idealem" adtigisse in libello novo (p. 22) praedicare non metuit calumniator Upsaliensis. Dixi (in Prodr. p. 4), systemati cuivis serio metam idealem propositam esse, ut necessitatem suam in se obtineat vel ut aliter se habere nequeat; at ubinam dixerim, me metam idealem adtigisse vel meum systema solum verum sistere? Stupiditates sic qualescunque mihi adtribuere „artem criticam" Friesianam non pudet; si mihi fingere et si scribere potueram, quae mihi ista arte [2])

---

[1]) Summum inventum Friesianum anatomicum, scilicet genus Coniocybe sporas habere „orbiculares complanatas" aeque mirandum esse ac si quis lunam orbicularem complanatamque declararet, jam animadverti in Lich. Scandinaviae p. 43. — Quod si superbus judex Upsaliensis aliquid in scriptis meis obveniens refutaverit (nescio ne minimam quidem rem talem), quid ejus loco praestantius exhibuit?

[2]) Addatur hic aliud exemplum honestum analogum. Audacia solita Friesiana in Gen. Heterol. p. 45 scribitur de Lichenaceis systematis mei: „Quorum in serie adscendente infimum locum tenet Calicieorum tribus, quos igitur facile crederes intimam cum Algis affinitatem praebere." Quid hoc sibi vult? Ubi ita absurdum aliquid in scriptis meis invenitur? Collemaceos versus Algas me disponere, cuique constat, neque nisi inventum Friesianum Lichenaceos cum Algis comparare potest. Lichenacei vero hinc comparandi sunt cum Collemaceis, illinc cum Fungis. Genus Sphinctrina, utpote omnium infimi ordinis in serie Lichenaceorum adscendente, primum tenet locum et seriem incipit; necessitatem suam in se habet ut ita sit. Non autem (nisi animo torquenti) typus Sphinctrinae comparandus est cum typo Collemaceo (adhuc minus cum Algis), sed totus typus Lichenaceus cum toto typo Collomaceo. Arte, qua

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0376-5

fere quavis pagina in libello Friesiano imputantur, sane stolidissimus essem botanicorum. Systema nullum est „verum", sed systema serium admetam ordinis idealis (h. e. non adtingendam) tendere potest et debet. In systemate, quod tentavi, basis anatomica omniumque partium lichenum accedit, quae dispositionibus systematicis anterioribus defuit; ita arbitrium evitare contigit in iis (notis superficialibus vel modo singulis superstructis) praevalens. Cuique parti systematis locum dare studui naturalem et necessarium. Semper explicatur, cur vel ob quam caussam jubentem quaevis talis pars locum suum occupat. Anne vero de aliis dispositionibus systematicis idem valet? Friesianam funditus peccare, similiter ac ceteras, satis ostendi. Lineari ordine (sive e formis putatis „maxime perfectis" sensim ad infimas descendente) seriem exhibere vult plus minus continuam dispositio Friesiana; at Usneas mox, quibus summus adtribuitur locus [1]), analysis facile demonstrat organa longe minus evoluta habere quam Stictas, culmen efficientes et „patricios" Lichenum, ut eas recte nuncuparunt J. D. Hooker et Taylor. Itaque Usneis e „loco summo" rejectis jam tactu levissimo seriem Friesianam penitus „ad irritum cadere, num quem fugit", ?

Indicatur (p. 37), plurimas species jam cognitas Scandinavicas mihi ignotas esse. Semper nudae affirmationes! Magis decens fuerat, enumerationem dare numeri magni specierum illarum [2]).

Quod (p. 45) de Belonia affertur, splendidum adhuc exhibet exemplum „artis criticae" Friesianae. Contendit ibi Fries, me hujus lichenis descriptionem dedisse, quae esset „prorsus falsa et sane paradoxa" (Gen. Heterol. p. 105). Nunc falsum illud et paradoxum ponit eo, ut sporae ex ascis discretae in epithecium concrescant. Quomodo aliquid ita absurdum excogitare potuissem? Attuli modo obiter notam singularem Beloniae [3]),

excellit Fries, res maxime singulares „demonstrari" possunt, sed praesertim quid ipse valet evidentissime demonstrat.

[1]) Mire legitur in Fr. Lich. eur. reformata p. 17: „Usneis summum vindico locum, quem quoque singulari sua structura, Exogeneis fere analoga facile tuentur." Si hoc non omnino certum, saltem est admodum ingeniosum.

[2]) In Bot. Notiser 1857, p. 210, occurrit fabricae Friesianae solitae specimen mihi adversarium, de quo leniter in Flora 1859, p. 43, pauca observavi. Inter criminationes tunc legebatur, me in Monographia Calicieorum plurimas species praetermisisse, quae jamdudum cognitae erant; at caute semper evitatum fuit eas afferre. Ubique eadem insinuationum methodus!

[3]) In Prodr. p. 100; sed descriptionem ullam ibi non dedi (nec speciei,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0377-0

hymenium tandem loco paraphysum occupari sporis, quae paraphysoideae apicibus conglutinatis epithecium (h. e. superficiem) apothecii formant. Paraphyses conglutinatae (appositae et apicibus gelatina hymenea glutinante inspissata conjunctae) numquam significavit concretae vel connatae [1]).

An opus est, ut refellatur quoque opinio Friesiana [2]), lichenes non pro maxima, sin omni parte in atmosphaera (aqua pluviali, pulvisculis, aëre) nutrimentum haurire? Ignorare videtur Fries quas res atmosphaera continet [3]). Si consuluerat ex. gr. scripta a cl. Barral de hoc capite edita, se abstinere potuerat impudenter (p. 48) me invitare, analysin dare aquae pluvialis. D. John ex. gr. in Ramalina calicari et Physcia ciliari ferrum invenit, nullum autem ejus vestigium in abiete, cui adnati erant hi lichenes; quomodo igitur e substrato („matricem" dicit Fries) ferrum proveniat ingeniosa forsan quadam explicatione Friesiana concipi possit. Magis adhuc mirum videatur, plantas quidem phanerogamas epiphytas observari omnino et optime vitam peragentes filo ferreo in aëre suspensas; atque a cl. de Luca probatum fuit, plantas eas ex atmosphaera sumere

---

nec generis) ut vellet Fries. Cf. ceteroquin de Belonia, quod genus inter Thelotremeos dispono, Nyl. Lich. Scandinaviae p. 185.

[1]) „Prorsus falsum et sane paradoxum", quod mihi false imputatur, scilicet „asci connati", modo singulari invenitur quidem ex. gr. in Fr. Syst. Mycol. 1, p. 158, et in scriptis ejusdem auctoris Upsaliensis (ascos, sporas etc., permiscentis et confundentis) analoga exempla minime sunt rara (cf. Nyl. Lich. Scandin. p. 4). Si lubet de iis alia occasione loquamur.

[2]) Nihil proprium, nec novum habet haecce opinio Friesiana. Adhuc defenditur a Lebail in thesi Les Lichens considérés sous le point de vue économique, médical et physiologique (Paris, 1853). — Observetur simul, minime probatum fuisse, ferrum, in quibusdam lichenibus inventum, frequens esse et elementum verum sistere texturae lichenosae; facile enim hic de immixtione solum mechanica agitur, nec de assimilatione vera. Lichenes calcicolae potissime elementa calcarea non assimilata in thallo suo mechanice recipere videntur. Anne quidem cuprum in plantis phanerogamis epiphytis, caussa accidentali receptum, indagavit cl. de Luca. — De oxalate calcico apud Lichenes praesertim crustaceos abundante memoretur, eum a me indicatum fuisse sicut notam peculiarem differentem a fungis (in fungis deficientem), minime autem sicut in omnibus lichenibus obvium.

[3]) Omnia vero sibi fingere videtur in natura lichenum perspecta habere, haud aliter ac si ipse lichenes composuisset. Sic calcem negat ab iis ex atmosphaera sumi posse, „quod analysis lichenum, qui ad corpora calce prorsus destituta domicilia sua fixerunt (v. c. ferrum), vix dubie docebit" imprudentissime statuitur in Gen. Heterol. p. 10. Examine non opus habet Fries; satis est ut affirmet.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0378-6

materias inorganicas multo plures et magis copiosas quam Lichenes (vid. Comptes rendus 1861, p. 393). Veniam indubiam habet Fries opiniones suas aliis opponere, sed quum decenter id non facit, castigabitur.

Exempla quaedam solum hic breviter examinavi libelli novi Friesiani, ne ob linguam suecanam, qua diluvie verbositatis conscriptus est, lichenologis plane ignotus maneat; alia exempla analoga in quavis pagina occurrunt, et qualiacunque mihi indicantur examini subjicere paratus sum. Utile putavi ostendere, quousque aberrare possunt se scientiae anteponentes.

Die Flora der Insel Art bei Neu-Kaledonien. Nach Montrousier, in den Memoires de l'Academie imp. des sciences, belles lettres et arts de Lyon. Cl. d. sc. X Th. 1860.

Der Genannte, ein Missionar der Maristen in Lyon, scheint hinreichend botanisch gebildet zu sein, um uns hier ein kleines Bild des Pflanzenwuchses dieser bisher kaum bekannten Insel zu geben, und da überdiess mehrere Gattungen als neue aufgestellt werden, möchte deren Kenntnissnahme nicht zu übersehen sein, zumal da dieselben in den genannten in Deutschland ziemlich wenig verbreiteten und zugänglichen Memoires enthalten sind.

Die Flora dieser Insel weicht im Ganzen sehr wenig ab von derjenigen Neu-Kaledoniens, entbehrt aber wegen der geringen Grösse des Landes der grossen Baumvegetation benachbarter Länder. Ueberraschend jedoch ist das Fehlen gewisser kleinerer Pflanzen, welche auf nahe gelegenen Inseln sehr gemein sind. Anderseits treten Formen auf, welche weder in Neu-Kaledonien noch hier wie auf der Fichteninsel vorkommen. Dagegen hat die Insel Art in ihrer Flora mehrfach Aehnlichkeit mit derjenigen der Insel Bourbon, was nur in so ferne eine Ausnahme erleiden muss, als die Menge der Farnkräuter auf Art fehlt. Es ist ferner sehr bezeichnend, dass gewisse Familien, wie die Rubiaceen, Myrtaceen und Aurantiaceen sehr vorherrschen, und hinwiederum der völlige Mangel eines Vertreters der den tropischen Ländern eigenen Familien wie Onagrarien und Melastomaceen erscheint. Obgleich diese Insel so nahe bei Australien liegt, gleicht ihre Vegetation doch jenem Lande sehr wenig, so sind die Orchideen sehr spärlich, die Proteaceen und Epacrideen ebenfalls.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0379-4

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: 45

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: De novissimo opere Friesiano 337-343